Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Lateinisch-deutsche Sammelhandschrift des Heinrich Otter - Cod. St. Blasien 77

Schera, Heinrich Otter de

[Italien, Konstanz], [1439-1442]

De obitu B. M. V. Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato ... (Ps44,10). Propheta David longe autem spiritu sancto illuminatus providit..

urn:nbn:de:bsz:31-51901

Visual Library

De purificacione

Festum purificacionis tribus nominibus appellatur. purificacio
beate marie ypapanti et candelarum, quia ea die que
xlª a natiuitate dei venit ad templum sola beata virgo maria
secundum consuetudinem veteris legis ut mundaretur non quia immun-
da fuit propter partum sicut alie mulieres, quia lex precipiebat
quod omnes primi fructus terre et iumenta domino offerentur
et primogenita hominum redimerentur tribu seu empta
Obtulit autem beata virgo pro parturitione aut duos pul-
los columbarum quia pauper erat. Diuites offerebant agnos
Dicitur ypapanti id est obuiacio, quia symeon et anna
obuiauerunt domino. Candelarum dicitur propter quandam veterem
consuetudinem gentilium romanorum quia in mense febru-
arii die secunda totam ciuitatem cereis et facibus tota
nocte lustrabant. Et quia christiani qui de gentilibus assum-
ti fuerunt, potuerunt amouere huius consuetudinem paga-
norum, Gregorius papa sic mutauit ut in die purificationis
beate marie que est in eodem mense omnes christiani process-
sionem facerent et candelas ardentes in manibus te-
nerent in memoria presentationis domini in templo. Cereus pro-
fecto quia in cera est. Cera enim signat carnem christi que
nata est de virgine sine corrupcione. Lumen signat
diuinitatem carne latentem. Ignis significat lumen diuinitatis
quia deus noster est consumens ignis etc.

Nota in quinque honorauit deus mulierem. Primo quia
de latere viri formata est et non de limo terre sicut
vir. Secundo quia in paradiso formata fuit, vir autem
in terra. Tercio quia filius dei voluit de muliere
Nota. nasci et non de viro. Quarto quia in illo triduo in sola
muliere stetit ecclesia scilicet in beata virgine quia omnes apostoli
recesserant a fide mortuo domino. Quinto quia post
resurrectionem apparuit dominus primo mulieri scilicet marie virgini
et marie magdalene etc.

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deau-
rato circumdata varietate. Verba propheta dauid lo-
quitur autem spiritu sancto illustrato preuidit ipsum diem in qua
sancta dei genitrix maria regina celi domina mundi

Spinta seculo migravit ad dominum deum | qualiter hoc gi-
gerit videat nobis scriptura sacra in hystoria modo Cum
xpus penderet in cruce commendavit eam sancto Johanni
ewangeliste dicens Mulier ecce filius tuus. et ex illa hora
accepit eam discipulus in sua Cui fideliter usque ad obitum
eius servivit dominus noster ihesus xpus filius eius volens matrem
suam diu regno suo premiare omnium fine Post
hodie morte qua et ipse pati voluit eam debet
seculo transire fecit Cum vero sanctissima virgo exultaret
in morte sponsi et mortem sibi appropinquare sentiret
oravit ad dominum dicens Domine ihesu xpe fili dei
qui salutem generis humani divine carne suscipere
voluisti imple petitionem meam et fac ut videam apostolos
sanctos fratres meos discipulos tuos ut videam eos
ante diem exitus mei et ipsi exequias meas perficiant
Dominus autem cui nichil impossibile est qui in momento
transtulit Abacuk prophetam cum pulmento a iudea in
babilone et iterum reduxit ipse exaudivit ma-
trem suam et apostolos qui erant dispersi ad predicandum
in mundo virtute celi congregavit in unum Quos cum
vidisset | mox in maxima gaudio repleta dixit
eis Gratias ago deo patri et filio et spiritui sancto quando
die exitus mei vos videre merui Nunc itaque
curam et sepulturam mei deo et vobis committo Et
cum consummasset tradidit spiritum in manus angelorum
Statim facta est lux magna de celo et ipse dominus ihesus
xpus cum exercitu angelorum apparuit et sanctam animam
dulcissime matris sue ad celestia regna perduxit
Tunc sancti apostoli cum ymnis et canticis spiritualibus deo
gratias agentes glorificaverunt corpus eius in valle Jo-
saphat ubi reges sepeliebant | ut ibi sepeli-
rent | eam que erat de semine regio | Precedebat
autem sanctus johannes ewangelista portans palmam et thuribulum
ceteri autem apostoli et multi alii cereos portabant et glo-
rificabant deum Sed cum audissent iudei omnium do-
norum in circuitu venerunt cum clamore magno

Nota de obitu beate Maria Virginis

itaque

Dicentes eam non debere sepelliri in valle regio
quia genuisset seductorem. Et contenderunt inpu-
dentes manus suas ut everterent de feretro corpus
eius venerabile. Et statim quidam aruerunt manus
et brachia quidam excecati sunt alii arrepti sunt
a demonio. Et tunc unus intelligens malum quod fecit
ductusque penitencia dixit petro apostolo Petre miserere mei
et memor esto quia cum abscidisti malcho auriculam
in orto ego te adiuvi ut evaderes. Dixit ei petrus
vade adiuvare illum qui palmam portat ante
feretrum. Et si confiteris te peccasse ipse adiuvabit te
Qui in statim ivit ad sanctum Johannem evangelistam et cum
lacrimis eum deprecabatur ut ei subveniret. Dixit ei
Johannes Si confiteris te peccasse et credis hanc virginem
genuisse verum deum et hominem salvatorem mundi dominum
nostrum ihesum christum salvus eris. Et ille dixit cum clamore
magno et lacrimis credo et confiteor. tetigit eum
de palma et restitutus bene manet ... et statim salvus
factus est. Alii vero quique confessi sunt peccata sua con-
ceperunt sanitatem qui autem persisterunt in malicia
sua suffocati sunt a demonibus et mortui sunt. Et tunc
portaverunt eam in valle josaphat et sepellierunt
eam ibi in sepulchro regio. Quarto autem die ut in sepulchro
posita est aperti sunt celi et veniens lux septies splen-
didior sole et apparuit dominus ihesus christus et cum eo omnis
chorus angelorum et audita est vox ipsius dicentis Veni
dilecta mea columba mea veni in regnum patris
mei quod tibi paratum est ab origine mundi quia tempus est
ut sis semper in conspectu meo ut ego habeam unam
precibus tuis stam oracione. Et statim est corpus eius
suscitatum et cum corpore et anima processit ad celum ubi
cotidie pro nobis peccatoribus intervenit apud deum. Illi
autem statim restituti sunt unusquisque in locum suum
Nunc itaque fratres tota devocione rogemus sanctam
mariam dei genitricem ut ipsa pro nobis intercedat apud
suum natum Qui vivit et regnat etc. Amen